



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *PRIMAE QUIDEM* BEATAE MARIAE VIRGINIS  
TEMPLUM SUB VERNACULO TITULO

«INMACULADA CONCEPCIÓN DE GUARCO» IN DIOCESI SANCTI IOSEPHI

IN COSTARICA AD HONOREM BASILICAE MINORIS ERIGITUR AC DIGNITATEM Ad perpetuam

rei memoriam. – Primae quidem videntur origines antiquioris civitatis Carthaginis recentiorisque Litoris Divitis in America repeti posse ac debere eo ipso ex loco ubi hac iam aetate renovatum tollitur sublime templum paroeciae intra archidioecesis fines Sancti Iosephi in Costarica, quod Beatissimae Virginis Mariae sacrum est sub vernaculo titulo «Inmaculada Concepción de El Guarco», et ubi longissima historia contexta est vitae catholicae ac religiosae ad novissimos hosce dies. Cum autem eandem aedem sacram Venerabilis Frater Romanus Arrieta Villalobos, archiepiscopus ipse Sancti Iosephi in Costarica, dignam profecto arbitraretur quae peculiari honore insignique augetur tum momentum ob historicum suum tum propter praestantiam inter alias dicionis illius aedes tum denique ob redintegratam architecturae interioris formam pastoraalemque utilitatem, ab hac petivit Apostolica Sede ut titulus ipse Basilicae Minoris rite illi tribueretur. Rationibus dein rei cunctis diligenter perpensis pariter opinamur Nos permagnam inde provenire posse, immo et proventuram, commoditatem in omnium illic degentium Christifidelium maius spiritale bonum. Quapropter Venerabilis Praesulis libenter obsequentes precibus atque adsentientes iudicio ea de re Congregationis pro Cultu Divino Nos pro apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, harum Litterarum virtute, decernimus et constituimus ut templum quod supra memoravimus archidioecesis Sancti Iosephi in Costarica Deo dicatum in honorem Deiparae Virginis Mariae vulgari sub nomine «Inmaculada Concepción de El Guarco» ad liturgicam dignitatem condicionemque Basilicae Minoris provehatur simulque ipsi cuncta addantur iura et privilegia quae aedibus eo honore condecoratis legitime congruunt. Mandamus praeterea ut illa singula ad amussim adserventur quae ex Decreto «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII foras dato sunt nimirum custodienda. Contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Iulii, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostrae septimo.* AUGUSTINUS Card. CARDINALI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana